



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina &  
Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Qui peccant in vestitu mortaliter.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**

videatur evasisse, idque magna ex parte culpa & negligentia Confessorum accidat, qui vel ex inconsiderantia, vel forte dum leviter pœnitentes peccare existimant, nullo cum scrupulo eos absoluunt, capita quædam in medium adferamus, quibus propter ornatum & luxum in vestitu, fastumque animi ingentem, plerumq; mortaliter hodie peccatur, ut cum absolutio danda erit, secundum eas regulas, actiones officij sui metiantur.

*Qui peccant in vestitu mortaliter.*

Si quis igitur vestitu splendidiore induitur, vel eo se se ornatus ob finem peccati mortalis, utique mortaliter peccat; ad hæc qui vestimenti sumptuosi gratia, vel ipse delinquit, vel alij eius nomine præceptum Domini, vel Ecclesiæ transgrediuntur, ita ut, ne vestis non conficiatur, festis diebus sartori operandum sit, vel ipse certè faciat eum operari, aut Sacrum Missæ officium omittere, vel ut alij omittant præbetur ab eo occasio; vel si causam præster coniugi, ijsve, ad quos spectat eius sustentatio, ut plus quam priuatae opes ferunt, in vestitum impendant, vel si præuidet, ut merito debet præuidere, aut saltem probabiliter dubitat, quod odia vestium causæ gignantur, dissensionesvè in ædibus fiant, vel quoddiodumenti causa coniux aut aliorū quispiam blasphemias euomat, aut lacra, contritusque illicitos exerceant: His adde eos, qui ornatus gratia non sine peccato mortali supercedent eleemosynis necessarijs, aut legata pia non exequuntur, aut similia, quibus obstricti sunt, complere negligunt, vel qui pro veste mer-

Ff 5

cedem

cedem operarijs denegant soluere: vel differe-  
runt, aut ære alieno sic se obruunt, vt cum tem-  
pore soluendo non sit futuri: In hoc etiam or-  
dine ponendi sunt, qui vt se splendide vestiant,  
detimentum proximo notabile inferunt: vel  
ita se exhauiunt, vt filias cum ad ætatem nubi-  
lem peruerent, in matrimonio collocare non  
possint, qua ex re magna damna solent existere:  
ad extremū cum prudenter colligi possit, quod  
nō mediocria peccata similia ijs, quæ dicta sunt,  
inde prodibunt, aut dubitatio verisimilis habe-  
tur, quod accidere possent, qualia fere solent  
sumptuosum & insolentem earum usum comi-  
tari. In omnibus quæ diximus, iudicandum esse  
peccatum mortale indulgere nimio vestitu.

Ceterum, cum fieri vix possit, vt qui supra  
quam suæ copiæ fuerint, insumit, non animum  
aduertat ad peccata consecutra; vel vt mini-  
mum possit & debeat aduertere, potest in uni-  
versum recte iudicari, eos omnes in peccato  
mortali vitam agere, nisi ex diligentí pœnitentia  
examinatione certa ratione contrarium exi-  
stimetur.

*Quomodo fiat mortale in vestitu quod per se  
tale non est.*

Neque solum mortaliter peccatur, cum fa-  
ctæ expensæ in vestes, ordinem, & facultates do-  
mesticas excedunt, verum etiam in modo pec-  
catum committitur sese exornandi, quid enim  
si ornatus ad lasciviam pertrahat? quod si per  
se, vel certe ex communi hominum iudicio non  
sollicitet ad peccatum, potest etiam fieri, vt per  
se quidem eo non adducat, tamen occasiōem

ille